Absque Pater noster. et absque Deus in adjutórium. incipiantur Vesperæ per Ant. Cálicem.

Ant. j. toni ij.



CA-LICEM. Ps. 115. Crédidi, propter quod locútus



sum : * ego autem humi-li-átus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino,* pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.



Ant. CA-LICEM salu-tá-ris accípi-am : et nomen Dómini



invo-cábo.

Ant. ij. toni viij.



CUM his. Ps. 119. Ad Dóminum



cum tribu-lárer clamávi : * et exaudívit me.